31.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

JURE DECIMARUM,

QUAM

DIVINA FAVENTE GRATIA,

EX DECRETO ET AUTORITATE

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI IURIS CONSULTORUM ORDINIS IN ILLUSTRI ACADEMIA IULIA,

PRÆSIDE

AMPLISSIMO CONSULTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN. HENRICO Hahn/ ICto,

CODICIS ET DECRETALIUM PROFESSORE, FACULTATIS SUÆ SENIORE, ET H. T. DECANO, DICASTERII GUELPHICI ADSESSORE, PRÆCEPTORE ET PROMOTORE SUO ÆTATEM HONORANDO,

PRO SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS CONSEQUENDIS,

PUBLICO EXAMINI SUBIICIT

HENRICUS Krolow/

REIP. LUNÆB. CONSIL.


IN NOVI IULEI AUDITORIO MAIORI,

DIE III OCTOBRIS, HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.

HELMESTADII

Typis HENNINGI MULLERI.

Anno CIƆ IƆC L.




MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, AC PRVDENTISSIMIS VIRIS,


DOMINIS CONSVLIBVS, SYNDICO, RELIQVISQVE INCLVTÆ LVNÆBVRGENSIS REIPVBL. SENATORIBVS GRAVISSIMIS,

DOMINIS PATRONIS, FAVTORIBVS, ET AMICIS SVIS PLVR. OBSERVANDIS.

DISPVTATIONEM HANC INAVGVRALEM PEROFFICIOSE OFFERT ET CONSECRAT.

HENRICVS Krolow.





DE IVRE DECIMARVM

CONCLVSIO I.

CVm materia Decimarum in foro hodie uſu non minus frequens quàm utilis ſit, & graviſſimæ de eâ oboriantur controverſiæ, in naturam earum, quantum quidem per rei difficultatem, & temporis anguſtiam licuerit, paucis nunc inquirere lubet.

II.

Quod ipſum haud incommodè fieri poteſt, ſi potiſſima, quæ in his alijſque Noſtratium terris ac Provincijs, circa decimas moveri & contraverti ſolent, per certas concluſiones proponamus & decidamus, omiſſis & neglectis ijs, quæ in jure quidem Canonico, & ab ejus Doctoribus latè traduntur, ſed moribus noſtris in deſuetudinem abierunt.

Sequemur in eo veſtigia & authoritatem Doctorum, inprimis Petri Rebuffi, Alexandri Monetæ, Henrici Caniſij, & Iohannis VVerndle, qui peculiares de decimis tractatus ſcripſerunt.

III

Præmittimus autem, quod vox decimæ, si notionem & derivationem ejus spectes, præcisè decimam cujusque rei vel bonorum partem significet.

Quod vulgò notum est. Hinc decumanus ager dicitur, ex quo decimæ vel decima pars fructuum penditur. Cic. *lib. 2. de finib.* Decimæ in singulari numero mentio fit, *in l. si quis rem 2. §. 2. ff. de pollicitat. in c. cum homines 7. c. adhac 15. c. quamvis 17. §. 1. X. h. t. & alibi.* Sed frequentiùs plurali numero utimur, quod unius rei decima pars in solvendo sæpe iteretur, Canis. *in tr. de decim. cap. 1. num. 1.* Henr. Zoesius *in Comment. ad Decretal. epist. h. t. n. 1.*

IV.

Secundum communem verò usum loquendi, quamvis aliam partem denotat, quæ ex diversa diversorum locorum consuetudine, decimæ loco solvitur, sive sit nona, undecima, duodecima, vigesima, trigesima, aut quævis alia pars.

Ioh. Calvin. *in lex. Iur. voc. Decima.* Lehman. *in Chron. Spir. lib. 2. cap. 35. vers.* Es befindt sich. Moneta *tr. de decim. cap. 2. num. 4. & 5.* Basileens. *tom. 3. disp. de decim. th. 2.* Hackelm. *disp. jur. Canon. 5. th. 2. & 3.*

V.

Sumitur duobus modis 1. materialiter, pro ipsa re, quæ decimæ loco datur. 2. juridicè, pro jure eam percipiendi.

Prior

Prior acceptio vulgaris est, *c. 1. X. de decim.* Altera non adeò frequens, usu tamen non minus recepta. Vid. *c. cum in tua. 30.* Gl. *in c. quamvis 17. h. t. lit. F.* VVerndle *in tract. suo, quem inscribit* Zehendtrecht/ *lib. 1. cap. 1.*

VI.

Vernaculo idiomate nostro dicitur der Zehende. Quod itidem diversimodè accipitur. 1. usualiter, pro ipsa decima, vel alia quota parte 2. Sensu juridico, pro jure eam percipiendi. 3. metonymicè, pro territorio & districtu, ex quo decimæ debentur.

Communis loquendi usus, quem inprimis sequi debemus, hoc demonstrat. Idque de postremâ significatione tradit Besold. *in thes. pract. voc.* Zehend. & ex eo Maximil. Faust. ab Aschaffenburg *in Consil. pro AErario Class. 5. Cons. 300. Ord. 451.*

VII.

Sunt autem Decimæ, primo significatu, quota pars omnium licitè quæsitorum, Ecclesiæ vel alij lege aut consuetudine debita.

arg. c. decima. 16. q. 1. c. pervenit. 5. c. nuncios. 6. c. non est in potestate 22. c. ex transmissa 23. X. h. t. Canis. *cap. 1. num. 6.* Dicimus quotam esse partem, quod non semper decima, sed interdum alia quota pars debeatur, quæ tamen secundum communem usum loquendi, decima appellatur, & pro ea habetur. Calvin. *in lex. jur. voc. decima.* Rebuff. *quæst. 4. in init.* Moneta. *cap. 1. num. 4. & 5.* Basileens. *tom. 3. Disp. de decim. th. 2.* Hackelm. *Disp. jur. Canon. 8. th. 2. & 3.* Subjungimus quod Ecclesiæ vel earum ministris debeantur.

tur. Quemadmodum enim in veteri teſtamento omnes omnino decimæ Levitis in poſſeſſionem, pro miniſterio in tabernaculo fœderis, aſſignatæ leguntur, *Levit. 10. v. 20. & Num. 18. v. 1.* Ita etiam Canones & Pontifices miniſtris Eccleſiæ, qui in ſacris faciendis, ac divinis obeundis miniſterijs occupati ſunt, ex decimis de alimentis & honeſtâ ſuſtentatione proſpicere voluerunt, ne manibus ſuis operari, & divinum miniſterium prorſus deſerere, aut ſaltem negligere cogerentur, Tyndar. *de decim. n. 25.* Rebuff. *quaſt. 2. num. 2. & ſeq.* Covarruv. *tom. 2. lib. 1. cap. 17. n. 2.* Quomodo verò hodiè etiam ſolvantur alijs, qui jus decimarum legitimè acquiſiverunt, id infrâ explicabitur.

VIII.

Altera acceptione deſcribi poſſunt jus percipiendi quotam partem ex rebus alienis licitè acquiſitis Eccleſiæ vel alijs lege aut moribus conſtitutum.

arg. c. pervenit. 5. c. ex tranſmiſſa. 23. c. cum in tua 30. verb. cum ipſis terra illa ab antiquo fuerit decimalis. & verb. ad quas de jure communi ſpectat perceptio decimarum. Gl. *in d. c. quamvis 17. lit. fin. h. t. & c. in aliquibus 32. §. illa. in fin.* VVerndle *lib. 1. c. 1.*

IX.

Potiſſima & receptiſſima earum diviſio hæc eſt, quâ aliæ dicuntur Prædiales ſeu Reales, aliæ Perſonales.

c. multiplici 3. c. paſtoralis 28. h. t. Moneta. *cap. 3. num. 4. & 5.* Rebuff. *quaſt. 3. num. 29.* Tyndar. *de decim. num. 4.* Non nulli quidem tertiam decimarum ſpeciem conſtituunt, quas

quas Mixtas vocant: Sed illæ ad alterutram illarum, cujus naturam magis sequuntur, referri possunt & debent. VVerndle *d. lib. 1. cap. 2.* Dominic. de Soto *de just. & jur. lib. 8. quæst. 4. art. 4.*

X.

Personales sunt, quæ debentur ex lucro, quod quis suâ industriâ vel opera licitè fecit.

Veluti ex officio, scientia, militia, mercatura, negotiatione, artificio, aliove quolibet actu & quæstu licito, *c. ad apostolica 20.* ubi Gl. dicit. personales decimas solvi potiùs personæ contemplatione, *c. non est in potestate 22. c. pastoralis 28. X. h. t. c. decima 16. q. 1.* Rebuff. *quæst. 8. num. 29. & quæst. 8. num. 2. 18. 19. & 20.* Moneta *cap. 3. num. 7. & seqq.* Hæ in veteri Testamento Levitis non solvebantur, sed jure Canonico demum introductæ sunt. Cum enim viderent Pontifices, plerosq; in urbibus præsertim populosis, non ex prædiorum fructibus vivere, sed mille alias rei familiaris & quærendæ pecuniæ rationes & artes inventas & excogitatas esse, personalibus hisce decimis sibi suisq; prospicere voluerunt, uti ex Thoma & Lessio notat VVerndle *lib. 2. cap. 1.*

XI.

Personales hujusmodi decimæ hodie in Germania non sunt usitatæ, omniumq; ferè locorum consuetudine vel desuetudine sublatæ sunt.

VVerndle *d. lib. 2. cap. 1.* Besold. *in thes. pract. voc.* Zehendt/ Helfric. Hunn. *in Encyclopæd. part. 5. tit. 2. cap. 5.* Zoes. *d. comment ad h. tit. cap. 1. num. 6. in fin.* Hodie itaque frustra quæritur, An etiam ex acquisitis per largitionem

nem liberalem, testamentum, legatum, ludum &c. decimæ debeantur, Et quænam earum licitè vel illicitè quæsitæ dicendæ sint. An verò in Germaniâ usu unquam receptæ fuerint, id aliis investigandum relinquimus.

XII.

Prædiales sive Reales decimæ sunt, quæ de fructibus ex re vel prædio perceptis debentur.

Cujus generis sunt frumentum, oleum, vinum, ligna, fructus arborum, olera & similia, de quibus decimas deberi passim habent textus *h.t. & eod. in 6.* Huc pertinent etiam venatio & piscatio, quatenus considerantur ut fructus prædii, ut & lapidicinæ, metalla, & id genus alia, quæ in usufructu prædii sunt, *l. item si fundi. ff. de usufr.* Item fructus animalium, ut caseus, lac, butyrum, lana. Hostiens. *in Summ. h. t. §. 5.* Basileens. *d. Disp. th. 4.* VVerndle *d. lib. 2. cap. 1.* Moneta *cap. 3. num. 6.*

XIII.

Has iterũ subdividunt in Majores & Minores seu Minutas. Vulgo dicuntur grosser und kleiner Zehend. Majores sunt, quæ de frumento, vino, oleo, aliisq; ejusdem generis penduntur. Minores, quæ ex hortis, arboribus, partu animalium, & alijs terræ fructibus præstantur,

text. in c. ex multiplici 3. c. cum tua. 30. & ibi Gl. lit. P. h. t. Rebuff. *quæst. 3. num. 26.* Besold. *in Thes. pr. voc.* Zehend. Zoes. *ad h. t. num. 14.*

XIV.

Circa originem verò decimarum Theologi

logi Scholaſtici & Canoniſtæ ſententijs admodum diſcrepant.

Vt latè videre eſt apud Covarruv. *var. reſolut. d. cap. 17. n. 2.* Ferd. Vaſq. *Illuſtr. Controv. lib. 2. cap. 89.* Gutierez *Quæſt. Canon. lib. 2. cap. 21.* & plures alios.

XV.

Falluntur autem, qui initia & origines decimarum ad jus naturæ referunt, eaſque jure naturali deberi exiſtimant.

Non juvat eos exemplum Abrahami, qui ab orientalium Regum cæde victor rediens, ex prædâ hoſtibus ereptâ, Melchiſedeco decimam obtulit, *Gen. 14. Hebr. 7.* Iung. Hugo Grot. *de iur. bell. ac pac. lib. 3. cap. 6. num. 1.* & Petrus Cunæus *de Republ. Hebræorum lib. 3. cap. 3. per tot.* ubi operosè defendit, quod Melchiſedecus non homo mortalis, neq; angelus, ſed ipſe filius Dei fuerit. Neque alterum Iacobi exemplum huc quadrat, qui â furore Eſavi fratris in Meſopotaniam fugiens, decimas Deo vovit omnium, quæ illic acquiſiturus eſſet, ſi incolumis reverteretur, *Geneſ. 28.* Rebuff. *d. quæſt. 1. num. 10.* Parum etiam huc facit quod Arabes fictitio Deo, quem Sabin vocabant, de thure, cynnamomo, & pipere, Græcos Apolloni Delphico, Hetruſcos & Romanos Herculi, Cyrum & alios Iovi, Gallos Marti, prædæ & ſpoliorum decimam devoviſsè referant Plinius, Xenophon, Varro, Cicero, Livius, Plutarchus, Feſtus, & ex iis plerîque ſcriptores in tractatibus ſuis de decimis. Vid. Rebuff. *quæſt. 1. num. 2. 3. 4. & 5.* VVerndle *d. lib. 1. cap. 4.* Gothofred. *in not. ad l. 2. §. ult. ff. de pollicitat & alii.* Ex paucis enim hiſce ſanctorum hominum, gentium, & heroum exemplis, & oblationibus votivis, ex aromatibus fortè &

prædâ factis, probabiliter, nedum certissima fide, colligi nequit, ab authore naturæ Deo decimas præcipi & deberi, cum recta ratio cuivis dictet, solutioni decimarum, ex ejus convenientiâ cum ipsa naturâ rationali necessitatem quandam moralem non inesse. Rebuff. *quæst.1.n.10.* Gutierrez. *Canon.quæst.lib.2.cap.21.num.7.* Hugo Grot. *de iur.bell. ac pac.lib.1.cap.1.num.10.*

XVI.

Nec minus à vero aberrant, qui decimas jure divino omnibus hominibus præcipi asserunt.

Quod tamen nonnulli ex Patribus, & plurimi ex Theologis Pontificiis, & Canonistis communiter statuunt. Vt rectiùs hoc intelligatur sciendum est, jus à Deo aut datum esse humano generi, aut populo uni. Humano generi ter jus datum à Deo reperimus: statim post hominem conditum, iterum in restauratione humani generis post diluvium, & postremò in sublimiori restauratione per Christum. Quæ jura haud dubiè omnes homines obligant, ex quo quantum satis est, ad notitiam eorum pervenerunt. Hugo Grot. *de iur.bell. ac pac.lib.1.c.1.n.15.* In his de decimis solvendis nullibi præceptum invenire est, uti ex subsequentibus patebit. Gutierrez. *d.lib.2.cap.21.n.7.8.& 9.* Populus autem ille unus, cui peculiariter Deus jura dare dignatus est, sunt Israelitæ, sive Hebræi, cum quibus passim fœdus ictum, ipsiq; in peculiarem Dei populum adsciti dicuntur *Deut. 4. v. 7. Psalm 147. v.19. & 20.* His Deus per Mosen inter alia præcepit, ut omnium fructuum decimas, in terra sancta Levitis darent, *Levit. 27. v. 30. 31. 32. & 33. Num.18. v.21. Deut.14. v.22.* Quia enim nullam peculiarem sortem in terræ illius distributione iisdem assignavit, *Num.*

18.v.20.

18.v.20. & c.26.v.62. Deut.10.v.9. & c.18.v.1. ideo de victu & alimonia iis hoc pacto prospicere voluit, ut nimirum à rei familiaris & victus curâ liberi, cultui divino, & rebus sacris, studio item legis divinæ rectius incumbere & vacare possent. Imò tantam & tam accuratam ipsorum præ aliis tribubus & contribulibus curam & rationem Deus habuit, ut, si in votis habuissent, propriam sortem non expetiissent, uti latè ostendit VVilh. Zepper. *in LL. Mosaicar. explanat. lib.4.c.10. quæst.1. per tot.* Hæc verò lex de decimis, ut & aliæ, quæ singularem ac particularem ad Iudæorum politiam & populum respectum habent, & ad illius gentis, terræ, temporis, ingenia, & rationem accommodatæ, non nisi eos obligant, quibus datæ sunt, cum obligatio veniat ex voluntate ferentis. Deum autem voluisse, ut alij quàm Israëlitæ istâ lege tenerentur, nullo indicio potest deprehendi. Neque enim Moses socero Iethroni, neque Elisæus Naamani Syro, neque Ionas Ninivitis, neque Daniel Nabuchodonosoro, neque Prophetæ alii Chaldeis, Ægyptiis, Sidoniis, Tyriis, Idumæis, Moabitis, ad quos scribunt, unquã significarunt, opus ipsis esse, ut Mosis legem susciperent, cum tamen peccata eorum satis exactè enumerent, Grot. *de iur.bell.ac pac.lib.1.c.1.n.16.* Ratio ejus est, quod pleræq; legum illarum peculiaria erant, præcepta, sive ob vitandum aliquod malum, in quod proni erant Iudæi, sive ad experimentum obedientiæ, sive ad rerum futurarum significationem introducta. Idem Grot. *de Verit.relig.Christ.lib.5.* Hinc Dn. Melanch. *in Loc.Theolog. de divisione legum*; Ceremoniæ, ait, Mosaicæ & forenses leges nec mandatæ sunt cæteris gentibus, nec obligant nos, & B. Luther. *Tom.1.VVitteberg.Latino fol.7.* scribit, leges populo Iudaico propter politicam gubernationem traditas ad nos non magis pertinere quam Solonis aut Draconis leges.

ges. Non igitur, nos quod attinet, probanda est ulla legis abrogatio; nam nec abrogari potuit eorum respectu, quos nunquam obstrinxit. Sed ab Israelitis ablata est obligatio quoad ritualia quidem statim postquam lex Evangelii cœpit promulgari; quod Apostolorum Principi clarè fuit revelatum *Actor. 10. v. 15.* quoad cætera verò, postquam populus ille per excidium urbis & desolationem præcisam sine spe restitutionis populus esse desiit, Grot. *d. loc.* Dominicus à Soto *lib. 9. de iustit. & iur. quæst. 4. art. 1. per tot.* Melancht. & Luth. *dd. loc.* Chythr. Hutter. *in compend. locor. Theolog. loco de lege Dei.* Gutierrez. *Canon. quæst. lib. 2. cap. 21. n. 13. & 14.* ubi plurès allegat. Quamvis autem lex de decimis per Mosem data Politica sit, & nos directè non obliget, ut jam diximus, non nihil tamen morale admixtum habet, & indicio est, alias etiam gentes omnesque & singulos homines obligari, ut vel partem aliquā fructuum, in alimenta eorum, qui in sacris rebus occupantur, impendant, vel saltèm stipendia, quæ ad eorum alimenta & honestam sustentationē sufficiant, ipsis subministrent, si aliunde non suppetant, Rebuff. *de decim. q. 1. n. 9.* & alii. Hocq; postremū non tantùm naturalē, & communis juris rationē habet, ut latè probat Covarruv. *var. resolut. lib. 1. c. 17. in princ. vers. Consequitur. ibi: Qua rto iuris naturalis ratio dictat.* sed lex etiam Christiana hoc ipsum præcipit, & seriò inculcat *Matth. 10. v. 10. Luc. 10. v. 1. ad Timoth. 5. v. 18. 1. ad Corinth. 9.* ubi illud *Deut. 25. v. 4.* Bovi trituranti non obturabis os, huc accommodat, & eleganter explicat. Et hoc sensu intelligi debet, quod in jure Canonico quatuor Ecclesiæ Doctores, Ambrosius *in c. nam qui 16. q. 2.* Gregorius *c. quadragesima. de consecrat. dist. 5.* Augustinus *c. decimæ 16. q. 1. & c. maiores 16. q. 7.* Hieronymus, *in c. revertimini & c. ult. 16. q. 1.* & horum authoritate permoti Pontifices, Innocentius III. *in c. tua.*

25. c. tua

25. c. tua nobis 26. c. in aliquibus 32. h. t. Alexander III *c. Parochianos. 14.* Paschalis *in c. decimas 16. q. 1.* Gregorius VII. *in c. decimas Deo. 16. q. 7.* Item Concilia, Moguntinense *c. eod.* Lateranense *c. in aliquibus 32. h. t.* perspicuè, quamvis minus proprie, asserunt, nimirum decimas juris divini esse, & eo jure deberi. Vid. Rebuff. *quæst. 1. num. 11. & seqq.* Andr. Hispan. *tract. de decim. quæst. 8. n. 4. & 5.* Iohan. Azor. *in Institut. moral. lib. 7. cap. 23. vers. Quintò quæritur.* Zoes. *ad h. t. num. 2.*

XVII.

Rectius ergo statuitur, Iure positivo & humano decimas Ecclesiis deberi.

Quanquam enim naturalis ratio dictet, & lex Evangelij perspicius verbis præscribat, quod operariis condigna merces, & sua Ecclesiarum ministris stipendia solvenda sint, certum tamen est, Christi & Apostolorum tempore, ex hac generali novi Testamenti lege decimas nullibi exactas, nedum datas esse, Christo enim divites quædam mulieres, ipsum secutæ, & alij forte pij de facultatibus suis ministrarunt, unde se cum discipulis aluit, & pauperibus etiam benefecit, *Luc. 8. v. 2. & 3. Ioh. 13. v. 29. c. habebat. 12. q. 1.* Mortuo autem atque sublato in cœlum Salvatore, Apostolis & discipulis ejus à pijs hominibus, qui Hierosolimis primi extiterunt, & mox cum religione Christianâ communionem bonorum amplexi sunt, prædijs agrisque divenditis, & prætis eorum in commune collatis, de omnibus ad vitam sustentandam necessarijs similiter abunde prospectum fuit, *Act. 2. v. 44. & 45. Item cap. 4. v. 32. & seqq. & cap. 5. v. 1. & seqq. Act. 6. v. 2. & seqq.* Cœpit etiam Ecclesia æraria sua vel gazophylacia habere, in quæ viritim, pro sua quisque facultate in publicis Ecclesiæ cœ-

tibus singuli contulerunt, unde non suos tantùm pauperes alerent, sed egenis quoque fratribus alibi degentibus, collectas & subsidia mitterent. Cujus rei exempla obvia sunt, *Act. 11. v. 29. Rom. 15. v. 25. & 26. 1. Cor. 16. v. 1. & seqq. Cor. 8. v. 1. & seqq. & cap. 9. v. 1. & seqq.* Tertullianus *in apolog. cap. 39.* Sed cum è re Ecclesiæ visum esset, si prædia & agri, quos pij vendere solebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderentur, cœperunt eæ immobilia bona possidere, & proventus eorum clericis viritim dividere, quorum erat ut plurimum & mansit aliquandiu communis vita & conversatio, *c. quia tua c. scimus. c. nolo c. non dicatis. 12. q. 1.* quamvis ad eam communionem inviti nequaquam cogerentur, *c. certe. 12. q. 1.* Duaren. *de sacr. Eccles. minister. ac. benef.* Illudque factum est Vrbani I. tempore. Platina *in vita Vrbani primi. c. videntes 12. q. 1.* Polydorus *de rerum inventor. lib. 6. cap. 14.* Funcius *lib. 6. Chronol. sua.* Ex eo igitur tempore certatim unusquisq; pius & fidelis prædia possessionesque dabat Ecclesiæ, hoc potissimum consilio, ut ex eorum fructibus non ministri tantùm, sed quicunque etiam alij egentes alerentur, quorum ingentem numerum nutrire solebat Ecclesia. Lehman. *in Chron. Spirens. lib. 2. cap. 35. circ. fin.* Lodov. Molin. *de Iust. & Iur. tom. 1, tract. 2. disp. 142. post. med.* Nec enim ulla res unquam majori curæ priscis Christianis fuit, quam sustentatio pauperum, *c. quia juxta. 12. q. 1. c. aurum. & c. gloria 12. q. 2.* Adeò, ut ob cupiditatem quorundam, parùm rectè & sincerè administrantium, canones veteres modum rationemque dispensandi præscripserint, & quatuor partes omnium obventionum fecerint, quarum unam pauperibus, alteram Clericis, tertiam ædificijs Ecclesiasticis, quartam Episcopis tribuerunt, *c. vobis c. concesso. quatuor. 12. q. 2.* Cum quo convenit, quod Lehman *in Chron. Spir.*

d. lib.

d. lib. 2. c. 35. in Syn. Aurel. decretum refert his verbis: Iustissimum definimus, ut in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis sacerdotum, & pauperum refectione, vel redemptionibus captivorum, quicquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur, & Clerici ad adjutorium ecclesiastici operis constringantur. Et Caroli M. pia vereque Regia constitutio, quæ *Cap. lib. 7. c. 290.* habetur, & dignissima est, ut hic adscribatur. Es sollen sich (sagt der hochlöbliche Keyser) die Geistliche erinnern/ das der Zehend vnd frommer Christen Opffer/ den Armen im Land vnd frembder Pilger vnterhalt sey/ vnd der Kirchen Güter als ein entlehnet/ vnd nicht ein eigenthümblich Gut/ gebrauchen/ davon sie Gott rechenschafft zu geben schüldig/ vnd so sie nicht auffrecht damit gehauset/ der ewigen Verdamnus gewertig sein müssen/ Huc etiam pertinet, quod idem Lehman. *d. loc.* de laudabili Germanorum & Francorum more annotat, das nemlich bey den Teutschen vnd Francken Mann niemand in Stadten/ Flecken/ oder Dörffern lassen zu Betteln vmbgehen/ sondern so jemand ein freyer oder Leibeigener in Armuth gefallen/ hat Man sie in den Münstern/ gleich als im Spittall vnterhalten/ vielen jhre Notturfft an Speiß/ Tranck/ vnd Kleidung von den milten Gaben zu Hauß getragen/ deßgleichen frembde/ bresthaffte/ vnd Krancke in Pfleg vnd Wartung auffgenommen/ biß sie wieder zur Gesundheit gelanget/ Constantinus autem Imperator pro singulari suo erga Ecclesiam & cultum Dei promovendum studio maximis præterea sumptibus templa exstrui fecit, *c. futuram. 12. q. 1.* Tripart. *lib. 1. cap. 9.* & Ecclesiarum ministris stipendia è publico magnificè dari constituit. Sozomenus *lib. 2. hist. Eccles. cap. 4.* Eusebius *lib. 2. de vita Constant. cap. 21. 36. & 39.* Quod cum postea Iulianus fieri prohibuisset, & omnia Ecclesiarum bona Christianis ademisset, dicens se maximo eos beneficio afficere, nimirum ut pauperes facti regnum cælorum, quod evangelium promittat talibus, eò citius intrarent, Carion. *Chron. in vita Iuliani,* successores ejus in Imperio rursus confimarunt, *l. privilegia 12. §. 1.*

C. de

C. de sacrosanct. Eccles. Itaque post Constantini M. imperium, Imperatorum, Principum, nobilium & divitum liberalitate ditari cœperunt Ecclesiæ. Communium autem rerum distributio tandem antiquata prorsus & sublata est, ac singulis ministeriis certi reditus assignati, quibus ministri, tanquam re propria, sine ullius diaconi operâ, vel Episcopi authoritate fruerentur, Quos reditus ministerijs attributos hodie vulgò Beneficia appellamus, Duar. *de sacr. eccl. minist. ac benef. lib. 2. c. 1. circ. fin.* ubi falsè subjungit: Quam partem abstulerint pauperes in hoc, ut ita dicam, familiæ herciscundæ judicio mihi nondum planè compertum est, tametsi quid ipsis hic acciderit, & quàm humaniter accepti sint, satis suspicor. Quo tempore autem & à quibus consuetudo invaluerit, ut decimæ ad novi Testamenti Ecclesias pervenerint, non satis certò liquet. Hermannus Gigas author quidem est, referente Zeppero *lib. 4. cap. 10. quæst. 3.* Constantinum M. primò præcepisse, ut de rebus omnibus decimæ Ecclesiis solverentur, sed hoc non videtur verisimile, vel hoc argumento, quod in Codice Iustinianeo harum decimarum mentio non fiat. Lehman. *in Chron. Spir. lib. 2. c. 35.* hac de re ita scribit: Was den Zehenden belanget / hat man in etlichen Orten aus einer gewissen marckung vnd Refier denselben / von allerhand Früchten zu der Clerisey vnd Priester vnterhalt / so wol in Städten als Flecken vnd Dorffschafften geliefert / vnd haben die König / auff der Bischoff ansuchen / vnd wegweisung der Mosaischen gesetze / ernst vnd streng darob gehalten / wer sich hierin seumig / fahrlässig / oder vngehorsam erzeigt / der hat nicht allein der Kirchen buß auff sich geladen / daß er von der gemein außgeschlossen worden / sondern auch des Graven oder Gerichtsstraff verwürckt / die er dann vnnachlessig bey Leibes straff müssen zahlen / vnd daneben den Zehenden der Kirchen reichen / davon hin vnd wieder viel gesatz vnd sonderlich in Synodo Matiscon II. 1. can. 5. Statuimus & decernimus, ut mos antiquius à fidelibus

tibus reparetur, & decimas Ecclesiasticis famulantibus ceremoniis populus omnis inferat. Cantzius *in metropoli sua lib. 1. cap. 8.* annotat, Carolum magnum tributa Saxonibus, ad Christum conversis, remisisse, & eorum loco decimas Ecclesiis & Episcopis assignasse. Cujus etiam jussu & authoritate diversæ Synodus habitæ, quibus sancitum, ut decimæ Clericis solverentur. Quicquid sit, de eo constat, vetustissimam esse consuetudinem de solvendis decimis in Ecclesia, quam sanctissimi quique veterum maximè comprobarunt atque commendarunt, *c. revertimini 16. q. 1.* Duaren. *d. lib. 2. c. 2.* Nec dubium est, quindecimæ paulatim à Pontificibus Romanis, ad imitationem legis Mosaicæ, ex veteri testamento in usum revocatæ, & primitus ex merâ liberalitate à quibusdam religionis opinione Ecclesijs datæ sint, quam postea Pontificum, Conciliorum, & Impp. sanctiones & leges in necessitatem converterunt, Idem Duaren. *de sacr. Eccl. minist. ac benef. lib. 7. cap. 1.* Ex quibus omnibus patet, Decimas neque jure naturali, neq; divino propriè deberi. Vid. Vasq. *Illustr. Controv. lib. 2. cap. 89. n. 1.* Martin. Uranius, aliàs Prenninger. *tom. 3. cons. 1. de decim. in additionibus.* Moneta *cap. 1. num. 5. & seqq. ubi plures allegat.*

XVIII.

Paulatim tamen jus decimarum ad Christianos Principes seculares, aliasq; tam publicas quàm privatas personas pertinere, imò non tantùm consuetudine, sed ipsorum etiam Pontificum remissione imminui, Ecclesiisq; subtrahi cœpit.

Quomodo & quâ occasione hoc factum sit, ut de-

cimæ primùm in laicorum, ut vocant, vel secularium manus pervenerint, ex Crantzio discimus, qui *lib. 1. metropol. c. 2.* meminit, post Saxones devictos indictas quidem decimas de more Christianorum, sed partem earum Principibus regiisque præfectis attributam, & quidem Pontificis & Cleri consensu, quod Ecclesias populumque Christianum, variis afflictionibus laborantem, propugnarent & defenderent. Hincque ortum existimat, quod hodie in Saxoniâ & alibi multarum decimarum exactiones in manibus laicorum sint, ac partim jure feudi, partim jure proprio ab ijs possideantur. Huc pertinet, quod Fridericus I. Imp. in oratione sua, quam in celeberrimo Imperii conventu Geilenhusæ habuit, non indignum censuit, decimas Ecclesiasticis personis destinatas in beneficium remunerationis à laicis Ecclesiæ militantibus obtineri. Compertum, inquit, fortè habetis, quantis adversitatibus, impetar à Domino Papa: in quo autem gratiam ipsius diminuerim ignoro. Dicit Dominus Papa, injustum esse, aliquam laicam personam decimas possidere, quas manifestè Dominus his, qui altari deserviunt, deputaverit. Scimus autem decimas & obligationes à Deo sacerdotibus & Levitis primitus deputatas. Sed cum tempore Christianitatis ab adversariis infestarentur Ecclesiæ, easdem decimas præpotentes & nobiles viri ab Ecclesiis, in beneficio stabili, acceperunt, ut ipsi defensores Ecclesiarum fierent, quæ per se obtinere non valerent, ut ex Arnoldi Abb. Lubec. *lib. 3. Chron. Sclav. cap. 18.* refert Christoph. Lehman. *in Chron. Spirens. lib. 5. cap. 67. vers.* die 7. vnd 8. Gerechtigkeit. Vid. Crantz. *in Saxonia lib. 6. cap. 52.* Concessæ etiam sunt decimæ Principibus laicis in feudum, ob alia in Ecclesiam collata beneficia, aut etiam per modum subsidii, propter imminentes necessitates ad resistendum

infidelibus

infidelibus, hereticis, alijsque invasoribus Ecclesiarum. Zoes. *ad h. t. num. 46.* Sed cum hisce in feudationibus bona Ecclesiæ valde imminuerentur, idque ægerrimè ferrent Pontifices, in Concilio Lateranensi Anno Christi 1179. sub Alex. III. decretum factum est, ut Prælati Ecclesiæ secularibus postea decimas non concederent, *c. quamvis 17. c. prohibemus 19. X. h. t.* Covarr. *var. resol. tom. 2. lib. 1. cap. 17. num. 5.* Etsi antiquius videri posset, eò quod in concilio illo videatur ista prohibitio potius præsupponi, quàm de novo fieri, ut patet ex text. *in d. c. prohibemus 19. h. t.* qui agit de ijs, qui illicitè feuda tenent: illicitè autē ante prohibitionem non tenebant. Facit, quod *in tit. 6. lib. 1. Feud.* ab Urbano II. dicatur ea prohibitio facta in sancta Synodo, cum Lateranense concilium postea sit habitum sub Alexandro III. Zoes. *ad h. t. num. 47.* Utut sit, post prohibitionem ab Ecclesia factam decimæ in laicos transferri non potuerunt. Superiori autem seculo per transactionem Passaviensem, & pacificationem in Comitiis Augustanis initam, jurisdictio Ecclesiastica, quæ penes Pontificios erat, quoad Protestantium territoria & districtus, suspensa, jura autem Episcopalia ad Principes & dominos territoriorum, & status imperii, Romano Imperio & Imperatori immediatè subjectos, devoluta & translata sunt. Sleidan. *in histor. sua lib. 26.* Schönborn. *Polit. lib. 4. c. 6.* Matth. Stephan. *lib. 2. part. 1. cap. 7. num. 471.* Ex quo tempore bona etiam Ecclesiastica & inter ea decimæ ipsorū arbitrio commissæ à multis in profanos aut suos privatos usus converti, & in quosvis seculares licitè alienari cœperunt. Quod notius est quàm ut multis probare necesse sit. Quomodo autem antea etiam jus decimarum in quibusdam locis partim Pontificum remissione, partim consvetudine imminutum sit, eleganter tradit Azor. *in Instit. moral. lib. 7.*

 cap. 26.

cap. 26. cujus verba hæc sunt. Quæres, inquit, unde factum sit, ut in quibusdam provinciis nulla decima solvatur? Respondeo, ex diversis causis id potuisse fieri. Aut enim olim Pontifices Romani sponte sua, & voluntate remiserunt decimas, quia laici certa quædam bona assignarunt ad Ecclesiarum & Clericorum usus & alimenta; quod ego quidem factum existimo in Italia: Aut Romanus Pontifex decimas Regibus, Principibus & aliis primariis viris optimè de Ecclesia meritis attribuit, ea lege, ut dotarent Ecclesias, & necessaria vitæ subsidia Clericis præberent: ac ita concessæ sunt Hispaniarum Regi decimæ quæ in certis suæ ditionis provinciis colliguntur. Tales etiam decimæ sunt quibusdam Religiosorum Ordinibus attributæ. Ex quibus tamen decimis detractæ sunt certæ portiones, & Ecclesiastica quædam beneficia constituta, unde sustententur Clerici, qui ex ipsis Ordinibus ad Ecclesiarum præfecturam & gubernationem deliguntur, aut certè Ecclesiarum Antistites expresso vel tacito Romanorum Pontificum, vel totius Ecclesiæ consensu, suo jure omnino cesserunt, laicos à decimis solvendis liberantes, & ita factum esse reor in Orientis Ecclesiis, in quibus decima non solvitur. Fortassis enim ejus regionis Episcopi Paulum sunt imitati, qui noluit Corinthios adigere ad decimam solvendam, vel quippiam aliud vitæ usibus necessarium suppeditandum, ne quemquam eorum gravaret; sed suarum, ut ipse testatur, manuum labore, victum sibi quæritabat. Nisi forte dixeris, decimas Ecclesiarum Orientis Saracenos & Turcas, aliosque Tyrannos per vim rapuisse, ac sibi usurpasse. Illud potiùs verisimilius videtur, ejusmodi Ecclesias à multis annis petere decimas non consuevisse. Huc usque Azor.

XIX.

His ita discussis, jus decimarum breviter ad tria capita referimus, 1. quemadmodum acquiratur 2. qui conservetur, & 3. quomodo amittatur.

Totum

Totum enim jus rerum consistit aut in acquirendo, aut in conservando, aut inminuendo. Aut enim hoc agitur, quemadmodum quid cujusque fiat, aut quemadmodum quis rem vel jus suum conservet, aut quomodo alienet sive amittat *l. ult. ff. de legibus.*

XX.

Ad acquisitionem pertinet. 1. quæ personæ. 2. quarum rerum, & 3. quomodo decimas acquirere possint.

Vocabulum acquisitionis sumitur hîc in lata significatione, quatenus in sese promissionem, constitutionem, & acquisitionem in specie sic dictam continet. Quamvis enim hæc à quibusdam confundantur, maxime tamen inter se differunt, tam ratione effectus, quam ordinis, ut infra apparebit.

XXI.

Personæ hîc maximè duæ interveniunt. 1. Accipientes, seu quibus decimæ debeantur. 2. Solventes, seu qui dare eas teneantur.

XXII.

Debentur jure Communi Canonum Ecclesiis Parochialibus, earumque ministris; de consuetudine verò quibuscunque aliis tam secularibus quàm Ecclesiasticis.

Animadvertendum hic est, quod quædam Ecclesia, sit matrix, quædam Parochialis. Matrix sumitur duobus modis. 1. pro Ecclesiâ cathedrali, seu Episcopali, *c. venerabilis, 22. X. d. verb. signif.* 2. pro parochiali seu principali,

 quæ

quæ limitatam perochiam aliasque sub se ædiculas vel Capellas habet, quarum respectu matrix dicitur. *c. plures. 54. in 16. q. 1. c. ad audientiam 3. X. de eccles. ædif.* Nicol. de Milis *in repert. aur. lit. E. num. 8.* Quamvis igitur appellatione matricis, pro subjecta materiâ, & negotii qualitate, tam hæc quam illa intelligi possit, indubio tamen venit cathedralis, Gloss. *in Clement. 1. §. quibus. in verb. matricibus. de privileg.* Rebuff. *q. 6. num. 6.* Parochialis dicitur etiam Baptismalis, quod in ea sint fontes baptismales, & parochiani ibi baptizentur. Gl. & Panorm. *in c. cum contingat. 29. h. t.* In unâ autem parochia regulariter una Ecclesia Baptismalis est, nec plures in eâ possunt esse. *c. plures. 54. in 16. q. 1.* Rebuff. *q. 6. n. 8.* Quamvis interdum propter periculum iufantium baptizandorum, præter parochialem alia etiam fiat Baptismalis. Tenendum itaque pro regulâ est, quod Prædiales (quibus de loquimur) regulariter Ecclesiæ Parochiali solvendæ sint, in cujus parochia prædia sita sunt. *c. un. §. in diœcesi. 13. q. 1. c. de decimis. c. veniens. 19. & c. ex tranmissa 10. ubi gl. X. de præscript.* Mart. Vran. *tom. 3. cons. 1. n. 1.* Hunn. *in Encyclopæd. suâ, part. 5. tit. 2. c. 3.* ubi quam pluplurimos Dd. allegat, eamque sententiam certam & communem resolutionem Theologorum, ICtorum, & Summistarum esse dicit. Quemadmodum enim cuique Ecclesiæ & Parochiæ certa quædam prædia & terræ subsunt, & in eadem parochia & territorio manent, ita quoque onus hoc reale, prædijs ipsis annexum, Ecclesiæ parochiali seu terrttoriali, per mutationem vel translationem domicilij, à debitoribus decimarum minimè subduci, sed perpetuò conservari placuit, etiamsi predia vendantur, donentur, aut legentur hominibus alius diœceseos vel parochiæ, Idem Hunn. *d. loc.* Quod verum etiam est, si ager in vineam mutetur, vel contrà, quod mutatio qualitatis loci

non

non possit alterare obligationem solutionis decimarum. *c. commissum 4. X. h. t.* ubi Panormit. & Canonistæ. Guttirrez. *d. lib. 2. t. 21. n. 97.* Hartm. Hartm. *Pract. for. lib. 2. tit. 53. Obs. 10. n. 11.* VVerndle *d. lib. 4. c. 3. in fin.* Quomodo olim ante concilium Lateranense laicis in feudum datæ, & superiori seculo ad seculares Principes translatæ sint decimæ id, supra Concl. 17, abundè dictum fuit.

XXIII.

Solvunt decimas, quicunq; fructus percipiunt, cujuscunque generis vel ordinis existant.

Quâ fructus enim dari consueverunt, per text. *in c. cum homines 7. verb. ut decimam statim de fructibus collectis persolvant. c. pastoralis 28. c. ex parte. 21. verb. ut de omnibus prædiorum fructibus decimas absq; diminutione persolvant. h. t.* Hincque regulariter ab omnibus, qui fructus sibi acquirunt, penduntur. A Clerico quidem de bonis patrimonialibus, à beneficiario & Prælato de prædijs Ecclesiasticis, à Canonico de fructibus suæ præbendæ, juxta Canonistas comm. *in c. novum genus 2. h. t.* Glossâ *in c. quæst. 16. q. 1. & in d. c. 2. h. t.* nequicquam dissentiente. Idem obtinet & in aliis Religiosis, quoad prædia ab ipsis acquisita *c. commissum 4. h t. junct. c. ult. §. cæterum eod. in 6.* & in possessionibus ab aliis conductis *c. dilecti 8. h. t.* Rebuff. *q. 14. num. 52. & 57.* Secus est in Rectoribus Ecclesiarum & Clericis superioribus, qui non solvunt inferioribus de decimis sibi acquisitis, quomodo intelligendum est illud *in d. c. novum genus.* Clericus clericum non decimat, sicut nec Levita Levitam, Azor. *d. c. 24. quæst. 5.* Innocent. *in d. c.* Rebuff. *q 5. n. 6.* Diversum quoque est in illis, qui speciali jure aut privilegio sunt exempti, per *d. c. commissum 4. h. t.* De laicis quod decimas solvant, est text. *in c. si quis*

laicus

laicus.16.q.1. Quod verum tam de colonis quam dominis *c. a nobis 24. c. tua nobis 26. h.t.* atque ad pauperes (nisi extrema necessitate laborent, quibus remissio facienda, aliquin mendicaturis) ad Iudæos, paganos, & similes extenditur. *per c. de terris. h.t.* Gl. *in c. decimæ 16. q. 1.* Azor. *d. lib. 7. c. 24.* Canil. *c. 4. & 6.*

XXIV.

Res quænam decimis obnoxiæ sint, facilè colligere est ex supra datis divisionibus. Modò addimus, ipso jure Pontificio objecta decimarum haberi bona, quæcunque licitè acquirunt homines, (sunt enim illæ pars horum) sub modo considerandi, quatenus fructus inde veniunt: Vnde decima, quod sustentationi ministrorum Ecclesiæ olim sit constituta, spiritualis indigitatur. Verum ex se & sui natura non nisi temporalis est, & ceu pars ex toto & res fine atq; intentione æstimanda.

Ipsis Pontificibus res Ecclesiasticæ vel spirituales sunt vel temporales. Illæ quæ spiritui deserviunt atque animæ causa sunt institutæ, ut sacramenta. Hæ, quæ non tam spiritus quam corporis gratia pro Ecclesiasticis ministerijs sacrorumque ministeriorum usu comparatæ, ut prædia, domus. Hincque ipsi ultro largiuntur, fructus quoque decimales temporales esse. Lancellot. *in Instit. jur. Canon. lib. 2. tit. 1.* qui & laico ad vitam concedi possint, Gl. *in c. quamvis 17. h.t.* & elocari *c. vestra. 2. de locat. cond.* Secus

esse

esse dicunt in jure percipiendi seu jure ipso decimandi, *arg. c. cum in, tua. 30, in fin. h. t.* quod volunt esse spirituale *c. ult. de rer. permutat.* seu decimas mediam quandam inter spirituales res & temporales naturam obtinere, ita ut jus ipsum decimandi spirituale sit, fructus verò ipsi decimarum temporales & profani, Lancellot. *de decim. tit. 26. §. 1.* Verumenimvero sic sequeretur veram esse debere hanc propositionem: nullus laicus potest habere jus decimandi; cujus tamen contradictoria ambabus manibus conceditur, quando dicitur Pontificem jus decimandi laico aliquando concedere, Panorm. *in c. causam 7. n. 3. de præscript.* Equitibus item Melitensibus, Hospitalariis, & Teutonici ordinis, qui non merè Religiosi, *c. quamvis 17. h. t.* nec non laicos in universum jure decimandi, quod ante Concilium Lateranense titulo feudi ab Ecclesiis nacti sunt, adhuc gaudere, *c. cum apostolica 7. de his quæ fiunt à prælat.* Covarr. *d. lib. 1. cap. 17. num. 5. vers. olim sanè.* Deinde non sequitur, bona sunt destinata ad usum Deo servientium, ergo sunt spiritualia, sed hoc, ergo Ecclesiastica sunt, quia ad Dei cultum non nisi mediatè inserviunt: & alioquin bona Ecclesiastica sic itidem servientia in universum spiritualia vocanda essent; quæ propterea nec divini sunt juris revera, simpliciter, & absolutè, sed quasi & secundum quid, Ioh. Faber. *in §. Nullius Inst. de rer. div. n. 4.* Satius ergo est dixisse, decimas alias esse Ecclesiasticas, alias seculares, Reusn. *4. dec. 2. n. 14.* illas destinatas ad ministrorũ Ecclesiæ sustentationẽ, has ad usus profanos: quæ & propterea, ut bona patrimonialia in commercio sunt hominum, liciteque, cæteris paribus, alienantur & transferuntur. Videatur in hanc sententiam Carol. Molinæ. *in consuet. Paris. §. 68. gl. 1. verb. Franc. aleu n. 16. & seqq.* ajens: Canonistæ decimam Ecclesiasticam vocant spiritualem, sed ineptè & impropriè

 cum

cum non sit res spiritualis essentialiter & effectivè. Duar. *de sacr. Eccl. minister. ac benef. lib. 2. cap. 2.* Ferd. Vasq. *Illustr. controv. lib. 1. c. 89. n. 1. & 2.* Meischn. *tom. 1. Decis. Cameral. 22. num. 26.* ubi decimas nihil spiritualitatis habere dicitur. Christoph. Besold. *in syn. polit. c. 17. n. 4.* Dn. Caspar. Klock. *tom. 3. Cons. 41. in fin.*

XXV.

Ex his præcipuè in controversiam venit nobilis illa & decantata quæstio de decimis ex agris novalibus. Cujus causa præmittimus, quod Novale vel terra novalis sit ager de novo ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit.

Vocabulum novale ambiguum est, & duas habet significationes. In larga significatione Gajus ICtus ita definit: Novalis est terra præcisa, quæ anno cessavit, *l. sylva 30. §. Novalis 1. ff. de verb. signif.* Quod Gœddeus *in comment. ad d. l.* authoritate Plinii, Varronis, & aliorum explicat & intelligit de terra nunc ante, superiore nempe anno, aratro cæsâ, vel scissâ, versâ, & cultâ, quæ alternis annis cessare solet, novandarum sibi virium causâ, vel ut impinguetur sterquilinio, & sic melius fructificet, Gothof. *in notis margin. ad l. Sylva 30. §. Novalis 2. de verb. signif. lit. O.* Hartm. Hartm. *d. lib. 2. tit. 53. obs. 10.* Quomodo omnes ferè agri Novales dici possunt, cum communiter cessent per annum, Panorm. *ad c. quid per novale 21. X. de verb. signif.* In hoc largo significatu Novalium nomine venit & ager, quem vulgò Bracklandt vocant. De cujus decimis in illustri

lustri Ducatu Lunæb. ita statutum est in dem Landtagß Abschied *de anno 1567.* Neben dehme haben auch hochgedachte Fürsten/ Rähten vnd Landschafften fürhalten lassen/ daß viel Zehendherrn innen vnd aussen Landes seyn/ welche sich beklagen/ daß denselben der Zehend von dem Korn/ so in das Brackland geseyet wird/ nicht wolle gegeben werden/ vnd darumb Rähten vnd Landschafften Rechtlich bedencken begehret/ Darauff haben Rähte vnd Landschafften vor billig erachtet/ vnd neben Ihrer F. Gn. statuiret vnd verabscheidet/ daß nun hinfürder der zehende von dem Bracklande/ so wol den Außländischen als den Inländischen solle gegeben vnd gefolget werden/ Jedoch so ferne auch den Inwohnern dieses Landes/ welche in andern Landen zehend haben/ hinwider der zehende von dem Bracklande gefolget wird/ do aber dasselbe nicht geschehe/ so soll auch der Zehende von dem Bracklande/ in solch Land auch nicht gestattet werden/ Idem nuper etiam Seren. & Illustriss. Dn. Augustus Dux Brunsvicens. & Lunæburg. constituit in seiner publicirten Landesordnnng his verbis: Was in die Brack bestellet wird/ wan es nach der Besahmung mit der Egge bestrichen wird/ davon ist der Zehende dem ordentlichen Zehendherrn zuständig. Ab hac significatione diversa est altera strictior, qua Novale dicitur ager de novo ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit, *in c. quid per novale 21. de verb. signif. c. ult. X. de privileg.* Germanicè Ein new außgereut Feld/ Newbruch/ Neureut/ Rodtland/ vom Roden vnd Außreuten/ VVehner *pract. Obs. tit. N. voc.* Novalzehend. Speidel. *Notab. Iurid. Hist. polit. lit. N. voc.* Neubruch. *c. 1. X. de verb. signif. ubi Canonistæ communiter.* VVerndle *lib. 4. c. 1. ita describit:* Ein Neureut vnd Neubruch ist nichts anders/ dann ein Grund vnd Boden/ so zuw erstenmahl auffgebrochen ist/ alß da man Reutet/ (das ist/ Gesteudt vnd Reißwerck/ item Bäume/ oder alte Stöcke/ Steinwurtzeln vnd dergleichen außgrabt/ außbrennet vnd außreutet) vnd dann solches auffbricht vnd anbawet. Hujusmodi ager non desinit esse

novalis, si iterum colatur, sed denominationem suam retinet, & novalium jure censetur, quam diu memoria eradicationis & primæ culturæ extat, per text, *in c. ult. X. de præscript.* Zasius *tom. 6. lib. 2. Cons. 11. num. 22.* Vid. VVehner. *Pract. observ. voc.* Novalzehend/ ubi late deducit, quinam agri propriè novales dici debeant.

XXVI.

Quæritur jam ad quem nam decimæ Novalium pertineant? Respondeo, Distinguendum hic esse inter Ius Canonicum, & jura Consuetudinaria.

XXVII.

Iure communi Canonum decimæ novalium, si ager intra Parochiam aliquam situs sit, haud dubiè ad Ecclesiam Parochialem spectant. Quod si verò novale in nulla limitata parochia existat, Ecclesia Episcopalis sive Cathedralis, vel ejus nomine Episcopus, in cujus est diœcesi, jure sibi eas vendicat.

Vterq; casus in jure quidem Canonico clarè & perspicuè decisus est. Prior ab Innocentio III *in c. cum contingat. 29. X. h. t. Cum in quibusdam, ille ait, parœcius ad quasdam Ecclesiasticas ab antiquo pertineat perceptio decimarum, & de novo fiant novalia in iisdem, quæris à nobis, ad quam hujusmodi novalium decima incipiat pertinere? Vnde inquisitioni tuæ respondemus, quod cum perceptio decimarum ad parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, decima novales, quæ sunt in parochiis earundem, ad ipsas procul dubio pertinere noscuntur.*

Alter.

Alter, imò uterq; casus itidem disertè satis habetur *in c. quoniam 13. h. t. Quoniam à nobis, inquit Alex. III. solicitudo tua requisivit, quid de decimis novalium tuæ dioecesis tibi sit statuendum? Respondemus, ut si terræ quæ arabiles sunt, intra certam alicujus Ecclesiæ paroeciam fuerint, decimas earum (tuâ parte retenta) eidem Ecclesiæ facias assignari. Alioquin ipsas secundum discretionem à Deo tibi datam, alÿ Ecclesiæ deputare, vel ad opus tuum poteris retinere.* Atque ita etiam sentiunt Duaren. *de sacr. Eccles. minister. ac benef. lib. 7. cap. 1.* Panormit. *in d. c. quoniam 13. in pr. & n. 1. X. h. t.* Rebuff. *q. 14. num. 2.* Moneta *cap. 4. quæst. 3. num. 52. & seq.* VVerndle *lib. 4. cap. 3.*

XXVIII.

Iure autem Consuetudinario decimæ Novalium, vigore juris superioritatis & territorialis, ad Principes & Status Imperij seculares pertinent.

Ratio ejus est, quod loca deserta & nunquam culta, ut vacantia, ad Principes jure territorij spectent, *c. 1. quæ sunt regalia l. 1. C. de bon. vacant. lib. 10. & l. 1. C. de omni agro deserto. lib. 12.* Valasc. *de jur. emphyt. quæst. 8. num. 37. & 40.* Ex quibus ad culturam redactis decimam partem fructuum Reipublicæ pro vectigali pendi solitam fuisse, ex Apiano refert Alciatus *in l. sylva 30. §. Novalis 2. ff. de verb. sign.* Nicol. Reusner. *lib. 4. Decis. 2. n. 14.* Zas. *Consil. tom. 6. lib. 1. cons 11 num. 22.* Clerici quidem jam olim sibi eas attribuere tentarunt, sed durum & grave id visum fuit Imperij Germanici ordinibus, qui ea de re conquesti quoq; sunt in gravaminibus & articulis contra Papam & Clerum in comitijs Anno 1522 Noribergæ exhibitis, ut notat Hartm. Hartmanni *lib. 2. tit. 53. pract. observat. 10, num. 12.*

Videantur Thomas Michael *in Disp. vel tract. de SS. Cæsar. Majest: Camer. ac Statuum jurisdict. Concl. 49.* Christoph. Besold. *in tract. de jurisdict. quæst. 20.* Idem Besoldus *volum. 5. Consil. 233. n. 25.* VVehner *in pract. Observ. voc.* Novalzehend. Matthias Stephan. *de jurisd. lib. 2. part. 1. cap. 7. num. 447. & s. seqq.* Maximil. Faust. *Cons. pro ærar. Class. 17. cons. 70. Ord. 1344.* Add. Mart. Uranius *tom. 3. Cons. 16. n. 10.* Adrian. Gylman. *in Symphoremat. Supplicat. tom. 1. part. 1. tit. 2. vol. 1. num. 135.* Meichlner. *tom. 3. Decis. Camer. Imperial. 33. num. 11. & seq.* Theodor. Reinking. *in tract. de Regim. secular. & Eccles. lib. 1. Class. 5. c. 1. n. 43. & 44.* Idque in Illustri Ducatu Lunæburgensi indubium est, cum decisum & communi Ordinum Provincialium consensu approbatum sit, in dem Landtags abschiede de Anno 1570. ubi inter alia hæc habentur: Es hat auch hochermelter Fürst auß gnädigen willen/ damit S. F. G. Rähten vnd Landschafft zugethan/ gnädiglich bewilliget/ vnd nachgegeben/ weil viel Acker vnd Wiesen zu den Katen gerodet/ daß dieselbige/ vngeachtet das daß Rotland dem LandFürsten zuerkand wird/ bey den Höfen vnd Katen bleiben sollen/ damit die Leute S. F. Gn. vnd jhren Gutherrn so viel desto besser daß jenige/ was sie schüldig sein/ thun vnd leisten mügen/ jedoch hat S. F. Gn. Ihr vnd den jenigen/ denen es gebühren mag/ die Rotzehende fürbehalten/ es wollen auch S. F. Gn. durch eine gemeine Constitution, so publiciret werden sol/ die versehung thun/ das von solchem zugeordneten Acker vnd Wiesen nichts vereussert oder verkauffet werde/ sondern die bey Höfen vnd Katen/ darbey sie geradet sein/ zubehörigen derselben bleiben sollen/ es wil auch S. F. Gn. die versehung thun/ das hinfürder zu abbruch vnd schmelerung der gemeinen Weide/ nichts außgerodet/ sondern do es je zu zeiten die Notturfft erfodert/ gebührende maß darin gehalten werden sol/ welch erbieten Rähte vnd Landschafft zu vnterthänigem danck angenommen/ Constitutio ibidem promissa eodem anno edita est, quæ cum & alia contineat hisce affinia, integra subijci meretur. Tenor ejus hic est: Von Gottes Gnaden wir Wilhelm der jünger Hertzog zu Braunschweig vnd

Lüne-

Lüneburg / thun kund hiemit / nach dem bißhero vmbbesserung der Höfe vnd Katen hin vnd wieder in vnserm Fürstenthumb vielen gestattet worden / daß sie Kämpe / Acker / vnd Wischen haben auß der gemeine gerodet / damit die Besitzer der Höffe vnd Katen so vieldesto besser die schüldige Pflicht vnd Vnpflicht leisten mögen / vnd sich aber etzliche vnterstanden haben / wann sie von den Katen vnd Höffen abgezogen sein / solch Rotland / Kämpe / vnd Wischen von den Höffen vnd Katen zu ziehen / vnd sie als jhr Erbe zubekrefftigen / welches sich nicht gebühret vnd keines weges zu leiden ist / demnach ordnen setzen vnd wollen wir / daß alles Rotland vnd Wischen sollen bey den Höffen vnd Katen bleiben / dazu sie gerodet sein / vnd ob etzliche wehren / die binnen zehen Jahren von Höffen vnd Katen wehren abgezogen / vnd hetten Rotland / Kämpe / vnd Wischen von den Höffen vnd Katen mit sich genommen / dieselben sollen sie alßbald / do sie aber beseet / nach Einerndtung / der Früchte die jetzt darauff stehet / abtreten / vnd sie zu den Höffen vnd Katen / dazu sie gerodet / vnd zuvor gebrauchet sein / wieder folgen lassen / auch soll hinfürder keiner Rotland / Kämpe / noch Rowtischen von den Höffen vnd Katen nehmen / sondern sie dabey lassen / jedoch da etwan aus sonderlichen Gnaden jemande / als vor seine Persohn / vnd nicht als Besitzer der Höffe vnd Katen / von vns vnd vnsern Vorfahren etwas zu Rodent erleubet were / derselbe mag es auch behalten / es soll aber in allewege der Rotzehende von dem Rotlande vns oder dem jenigen / dem es gebühret / vorbehalten sein / vnd gegeben vnd gefolget werden / was Erbländer / vnd Wischen bey den Höffen vnd Katē belanget / soll es nach vnser hievor außgangenē Policeyordnung gehalten werdē. Wir wollen auch das vnsere Großvoigte / Heupt vnd Amptleute / auch die jenigē / so Heuser von vns haben / maaß in erlaubnus des außradens sollen halten / damit die gemeine nicht zu viel eingezogen werdē / auch sollen sie versehung thun / wan Buchweitzen Kämpe aus der Heide gerodet werden / vnd zu Saatlande nicht wolten gemacht vnd gebraucht / sondern allein etzliche Jahr Buchweitzen darin geseet werden / daß solche Kämpe nicht gar durch den Buchweitzen außgemergelt vnd zu Pflugsande gemacht / sondern bey zeiten abgelassen werde / den Augenscheinlich daß durch solche lange beseyen / die Buchweitzen Kämpe / zu grossen vnd verderblichen Sanden gemacht werden / es sollen aber vnser Vndervöigte / auch die Inhaber

vnser

vnser / Voigte vnd Diener nicht macht haben zu erleuben etwas newes zuroden. In Illustri Brunsvicensium Ducatu ad eundem modum hac de re constitutum est, in dem Landtags Abschiede zu Ganderßheimb den 10. Octobris Anno 1601. auffgerichtet ibi: Zum funffzehenden / wenn einer von den Landständen vnd vnterthanen ohne verwüstunge guter nutzbahrlicher Holtzunge / auch ohne nachtheil Huede vnd Weide / damit andere des Orts berechtiget / aus vnd in dem seinen roden lest / sol der Rotzehende vnd Zinse dem Grundtsherrn / sonsten aber / wen mit deß gnädigen Landesfürsten bewilligunge (ohne welche auch / wenn verwüstunge oder Scheinbahres interesse tertii mit vnterleufft / dasselbe nicht zuverstaten) in S. F. Gn. eigenen oder gemeinen Holtzungen / darin S. F. Gn. der höchste ErbExse sein / gerodet wird / beides S. F. Gn. vnd deroselben Erben folgen. Item in der Fürstl. Braunschweig. Wulffenb. Landes Ordnung §. 52. in hanc sententiam: Was in Rotland / (so auffs new zu Rotland gemacht wird / nicht aber albereit von alters Zehendbahr gewesen / vnd hernach verwildet / bewachsen / vnd wieder außgerottet) bestellet wird / wann es nach der besahmung mit der Egge bestreichen wird / davon sol der Zehend dem gnädigen Landesfürsten zu S. F. Gn. vnmittelbahren verordnung / wohin sie denselben verordnen wollen / zustendig sein.

XXIX.

Modi acquirendi decimas vel immediati sunt, vel mediati. Immediati, quatenus lege citra factum hominis conceduntur.

Ita eas olim habuerunt Levitæ, ex singulari Dei concessione: ex quo concludere volunt pontificij, eas hodienum inde competere Ecclesiæ vi dominij cujusdam universalis, *per c. cum non sit 33. h. t.* Quod verò ex lege Israëlitarum promanans supra satis discussum, & pluribus nunc persequi operæ pretium non est. Sic enim colligi à particulari ad universale, nemo tam insulsus est qui non videat.

XXX. Me-

XXX.

Mediatè nunc decimæ acquiruntur, per factum hominis extrinsecum, quod triplex, promissio, constitutio, & acquisitio in specie sic dicta.

Ante concilium Lateranense decimas jure feudi concessas fuisse etiam laicis, adeò verum est, ut & præsumantur sic ante concilium illud concessæ olim, quæcunq; nunc penes laicos inveniuntur, si probari queat possessio immemorialis, juxta Dd. comm. Sed hodie Nostratibus non opus est tali operculo, cum consuetudinario jure passim decimas non tantùm in feudum accipi, sed & titulo quocunq; alio acquiri nemini non constet. Neq; hæc consuetudo juri naturali, aut illi divino quod omnes ex se & ratione sui objecti obligat, contrariatur. Add. Henr. à Rosenthal. *de feud. cap. 4. concl. 40.*

XXXI.

Promittuntur, quando spes fit de iis constituendis, quomodo nec perficitur jus decimale, sed agitur inde ad constituendum.

XXXII.

Fit hoc inter vivos, vel causa mortis. Illo modo pacto, pollicitatione, præsertim contractu stipulationis, emptionis venditionis, donatione, & similibus.

arg. l. 16. commun. prædior. l. 5. de servitut. §. 4. Inst. eod. arg. 1. Feud. 1. & 6. item *1. Feud. 4. §. 2. & 22. §. si quis.* De donatione est textus *in c. cum apostolica 7. de his quæ fiunt à prælat.*

tat. quo permittitur laico possidenti decimas jure feudi ante Concilium Lateranense donare eas Ecclesiæ cui voluerit, præsertim religioso conventui, sed interveniente Episcopi consensu. Idem habet *c. ult. vers. quamobrem 16. q. 1.* de laico, qui nullo legitimo titulo detinere dicebatur, ut illas possit ipso loci Episcopo assentiente conferre in usum Deo servientium. Add. & *c. fin. de rer. permut. arg. c. adhac. 15. c. quamvis 17. & cap. prohibemus 19. h. t. c. 1. 16. quæst. 7.* Moneta *cap. 8. quæst. 4. num. 46.*

XXXIII.

Constituuntur, ubi feudo concessæ, per Investituram, & sic perficitur jus decimarum perfectione prima.

arg. 1. Feud. 25. Investitura illa vel propria est, vel impropria, *2. Feud. 2.* alia etiam simplex alia simultanea, *arg. 2. Feud. 18. 2. Feud. 26. §. Titius.* Item Nova vel vetus, seu renovatio, *arg. 2. Feud. 40.*

XXXIV.

Acquiruntur decimæ I. Occupatione possessionis, quando promissarum & postea per abusivam investituram constituturum possessio acquiritur hujus apprehensione.

arg. d. 2. Feud. 26. §. si facta. Ita memini me legere Responsum Ampliss. Fac. Iuridicæ huius Academiæ Iuliæ, cujus hæc verba: hat ein Geschlecht einen Zehenden zu N. in ihren Lehnbrieffen von undencklichen Jahren gehabt / es ist auch dasselbe in solches Zehenden possession vel quasi zu anfang von dem Lehnherrn gesetzet / oder es hat den Besitz vel quasi von wegen desselbigen ohne das erlanget etc. Eadem

ratio

ratio est, si decimis per venditionem, donationem, aliove quàm feudi titulo promissis, vel inductio in praedium decimale fiat, *arg. l. 1. §. 2. de servit. præd. rust.* vel patientia concedentis sinentis uti interveniat, *arg. l. ult. de servitut.* cautiove per se ipsum fieri non debere quo minus alter utatur, *arg. l. 3. §. 2. de act. empt.* Sunt enim hæc instar traditionis, *arg. l. 11. §. 1. de public. in rem act. d. l. ult. de servit.* & placitum, hoc est promissionem factam sequuntur, *arg. l. 3. C. eod.* Qua ratione ideoq; & decimarum jus, instar servitutis prædialis, promissione purè facta simul quoq; constitui non est dubitandum.

XXXV.

II. Successione fit acquisito.

arg. c. adhac. 15. verbis: cuidam laico concessis per successionem tenendam h. t. Cum verò non valeat, de feudis facta ultima dispositio, *1. Feud. 8. & 2. Feud. 9.* intelligenda est conclusio nostra de successione legitima sive ab intestato: quomodo ut in feudis ita & in decimis sic acquisitis nunc passim succedi, nemo est qui ignorat, *arg. Novell. 118. pr. 1. Feud. 18. 2. Feud. 11. & passim.* Quod si alio quam feudi titulo decimæ habeantur, indubiè de ijs ultima voluntate disponendi jus habebit decimarius, capienq; hæredes sive ex testamento, sive ab intestato.

XXXVI.

III. Præscriptione.

Sic acquiri decimas Ecclesiæ alterius contra alteram, probatum facit *c. ad aures 6. X. præscript.* requirens quadragenalem præscriptionem, bonæ fidei, & cum titulo, aut si hic desit, immemorialem, *junct. c. episcopum. eod. in 6.* Vid. Moneta *cap. 5. q. 5. num. 107. & seqq.*

XXXVII.

Vtrum verò hic tot sint præscriptiones, quot anni & perceptiones, quæstionis est. Censemus unam sufficere.

Licet enim illud aliàs jure civili constitutum, *l. cum notissimi 7. §. in ijs C. de præscript. 30. vel 40. annor.* præstatio tamen hîc una intelligitur, unam & simplicem obligationem inducens, *d. c. ad aures.* sicut & in feudis, *2. Feud. 26. §. si quis.* Bald. *in c. 4. num. 1. de præscript.*

XXXIIX.

Verum dubio non caret, an laicis jus sit decimas ante Concilium Lateranense vel post feudi titulo concessas acquirendi per præscriptionem.

Quod affirmamus de præscriptione 40. annorum cum titulo, vel tempore immemoriali, ex fundamentis supra subinde insinuatis & latè traditis Vasquij, *Illustr. Controv. lib. 2. c. 89. n. 6. & 7.* Cujus verba *d. n. 6.* de decima ante Conc. Lateranense concessis inter alia hæc sunt: *Verius est, posse decimas præscribi à laicis non secus quàm reliqua res; nam laici capaces sunt percipiendarum decimarum ex concessione Pontificis Romani, c. à vobis. c. dudum, de decim. Quod indubitatum est de jure & consuetudine, & potentissimis Regibus nostris Hispaniarum à summis Pontificibus eæ partes decimarum in perpetuum concessæ sunt, quæ vulgo appellantur tertiæ, eæq; partes decimarum in commercio apud nos Hispanos esse & possunt, & sæpissimè solent, cum alienari à principibus nostris & soleant & possint, tam in Duces, Comites, & Marchiones Hispanos, quàm in alios viros inferioris conditionis.* Et paulo post: *Postquam enim legitimè à Pontifice Romano fuerunt illæ decimæ ex-*

emptæ

empta & separata à jure Ecclesia, jam quasi jus profanum, & in commercio humani generis esse cœperunt. Humana enim res potest sacra fieri aut religiosa, & per contrarium, res sacra & religiosa potest ad usus humanos reverti. Add. Hackelm. *d. disp. th. 18. lit. a.* Gutierez. *Canon. quæst. lib. 2. cap. 21. n. 67. & seqq.* Quomodo præscriptione decimæ amittantur, infrà explicabitur.

XXXIX.

Conservatio decimarum occupatur in effectu, præcipuè 1. in obligatione & jure decimali 2. in judicio.

XL.

Obligatio & jus illud decimale aliud est respectu decimarij, aliud ratione solventis. Illius, quod ubi feudo concessæ sunt decimæ, jus dominij utile habeat. Quod quatuor includit. 1. jus possidendi naturaliter. 2. percipiendi & transferendi ad hæredes. 3. subinfeudandi.

Patebunt hæc maximè infra, ubi agetur de actionibus. De subinfeudatione, quoad decimas titulo feudi concessas laico ante concilium Lateranense, id affirmat Bernhardus *in c. prohibemus. 19. in gl. verb. laicos. de decim.* quem citat Canisius *cap. 14. n. 2.* Idem statuit Molin. *ad Consuet. Paris. §. 68. gl. 1. in verb. Franc. aleu. num. 16. & seqq.* Nec enim feuda decimarum diverso ab alijs feudis jure censeri poterunt. Vnde hodie multo magis idem juris est in decimis noviter in feudum concessis; *arg. 2. Feud. 26. §. beneficium.*

Vbi jure proprio & alio quam feudi habentur, penes decimarium est. 1. jus possidendi naturaliter. 2. jus percipiendi & transferendi ad hæredes, & 3. jus alienandi.

arg. l. 36. de servit. rust. præd. l. 21. C. mandat. Ita enim in servitute prædiali obtinet, quæ analogia quadam decimis respondent, ideoque & hic alienationis nomine intelligimus actum omnem, quo dominium vel aliud jus in re constituitur, maximè (quæ huc spectant) ex donatione traditionem, venditionem, oppignorationem vel hypothecam, *arg. l. ult. C. de reb. alien. non alienand.* Quod si decimæ sint Ecclesiasticæ, quæ Ecclesiis aliisq; piis locis & causis penduntur, licet sint profanæ, debitæ secularibus, ut alienatio sit licita, insuper consensus Principis loci, quà Episcopi, vel Consistorij requiritur, *arg. auth. præterea C. de sacr. Eccles.* Cui concordat die Fürstl. Lüneb. Kirchenordnung *cap. 13. §. 7.* dum ita sancit. Gleichergestalt wollen wir/ daß alle und jede Gütere/ Acker/ Wiesen/ Zehenden/ Dienste/ Geld/ Kornzinse/ und andere reditus, Gefälle/ Rechte/ und Gerechtigkeiten/ so zur Kirchen/ Schulen/ zum Calande/ Gilden/ und sonsten andern Geistlichen Lehnen/ auch zu Hospitalen/ Gottesheusern/ und armen Kasten gehörig/ durchauß nicht veralieniret/ vertauschet/ nachgelassen/ oder sonsten in keinerley andere Wege/ wie die auch erdacht werden/ oder nahmen haben mögen/ wann gleich der Kirchen/ Schulen/ und anderer Gottesheuser conditio mercklich dadurch zu verbessern/ ohn Unsern und Unsers geistlichen Consistorij außtrücklichen schrifftlichen Special consens, von der Kirchen abgebracht/ mit schulden oder sonsten beschwert/ sondern vielmehr alle der Kirchen Güter und gerechtsahm in gutem unverrücktem volständigem Stande und Wesen bey der Kirchen/ Schulen/ und Gotteshensern erhalten werden sollen. Eodem modo in alienandis decimis,

cimus, quæ feudi titulo habentur, domini feudi consensus accedat necesse est, *arg. 2. Feud. 27.*

XLII.

Respectu solventis decimarum solutio facienda est legitimè juxta morem regionis aut Provinciæ.

Constat enim, ut plurimùm hæc venire ex moribus vel constitutionibus hujus vel illius loci. Confer. Iohan. Meichsner. *in Decision. Camer. Imper. lib. 1. decis. 22.* ubi multæ consuetudines incidenter referuntur.

XLIII.

Hinc est, quod ex agris decimæ regulariter statim fructibus collectis, id est, à solo separatis solvendæ sint.

c. cum homines 7. h. t. Vnde debitoris est periculum, si sit in mora *arg. l. cum res. 47. §. fin. de legat. 1.*

XLIV.

Cui consequens est, quod fructus non sint exportandi, nisi monito decimario, ut videat fructuum descriptionem & assignationem fieri.

Quod in his terris passim obtinet. Vid. Besold. *in thes. pract. voc.* Zehend. *verb. Decimarius.* Idem etiam constitutum est in der Fürstl. Braunschweig. Wolffenb. Landesordnung *§. 48.* Es sol niemand hinführo sein Korn an eintzelen oder mehren Garben auß dem Felde abführen oder abtragen/ ehe und bevor der verordnete Zehendemahler den Zehenden darauß gemahlet/ bey Straffe zehen Gulden und dem Zehendtherrn seinen Schaden.

Schaden vorbehältlich / wann aber der Zehende außgemahlet ist / ob schon derselbe noch nicht abgeführet / so mag ein jeder sein Korn nach seiner guten Gelegenheit hinweg bringen / wie er wil.

XLV.

Descriptio autem hæc justo tempore & modo fieri debet, ne dominis fructuum inde aliquid detrimenti contingat.

Anton. Thesaur. *lib. singul. quæst. forens. 9. ubi quærit, quanto tempore fructus post incisionem debeant manere in fundo, antequam exportentur.* Ad tempus pertinet. *§. 49.* in besagter Landesordnung. Wann der Zehendtmahler / (so an jedem Ort / dem herkommen nach / Jährlich beeidiget / bestellet / und belohnet werden soll /) die Zehendtaußmahlung nicht bey zeiten verrichtet / vnd dem Ackerman dadurch Schaden entstehen würde / so soll er selbigen Schaden gelten / und dazu einen Güld. Straffe erlegen / Demodo in §. 50. ita statuitur, Wer die außgemahlte Zehendt Stiege oder Garben / es sey an Korn / Flax / oder andern zehendtbahren Früchten außtauschet / wegstielet / oder untüchtige / wie auch kleinere und geringere Garben an den Ort deß Ackers / da der Zehendt vermutlich fallen müchte / machet / der soll zehen Güld. Straffe geben / vnd der Zehendtmahler nichts destoweniger andere tüchtige Garben von dem übrigen Getreidig zu nehmen berechtiget seyn / Et in §. 51. Würde der Zehendtmahler eine oder mehre Stiege umbstossen / etzliche Garben darauß wegnehmen / und die Stiege nicht wieder auffrichten / oder zu rechte legen / so soll er einen Güld. Straffe erlegen.

XLVI.

Quibusdam etiam in locis solventes in fructibus decimarum emendis aliis emptoribus præferuntur.

Quia

Qua de re in dicto Ducatu Brunsvic. peculiaris & satis prolixa constitutio VVulfferbyti 15. Iulij Anno 1564. publicata extat, cujus tenorem maximam partem refert alia constitutio, Anno 1597. 3. Iunij im Landtags Abschiede zu Saltzdalem ab Ordinibus approbata, his verbis: Zum Siebenzehenden / wird einem jeden Zehendtherrn in diesem Fürstenthumb seinen Zehenden in eine sonderbahre alda gedingte Scheuren / oder aber auff seinen Sitz / Vorwerck / oder Gewarsahmb zuführen / oder einem andern des Orts in der Naheit gesessenem / gegen eines andern Zehendtfuhr zu überlassen / oder auch denselben Zehenden / den marckgenossenen semptlich oder einem oder etzlichen jhres mittels / wann Sie nach billigen müglichen Dingen was derselbe ertragen kan / darumb thun werden / auff ein viel oder wenig Jahr / vnd nach außgang deroselben einem andern / ausserhalb was für Zehenden bey etzlichen Fürstlichen Heusern lange zeit vnd über die 30. Jahr von Trinitatis Anno 86. zurück zu rechnen geführet sein worden / vnd noch werden / zu seinem gefallen / zu verdingen billig frey / aber andern ausser den Marckgenossen den Zehenden einzuthun nicht zugelassen / es sey dann solches für jetzgemelten 30. oder mehren Jahren also vormals geschehen / in welchem fall solches auch hinführo vnweigerlich zu gestaten / auch die Bawren / welche sich der Zehendtfuhr halben wieder den Zehendtherrn verbinden / vnd dadurch jhme eintracht zuthun sich vnterstehen würden ernstlich zustraffen.

XLVII.

Iudicium decimale consistit in remediis decimarum nomine comparatis & procedendi modo.

XLIIX.

Remedia hæc sunt vel de jure circa decimas,

mas, vel tantùm de fructibus decimarum. Illa vel de promissis tantùm, vel constitutis, vel acquisitis.

XLIX.

Ex decimis promissis agitur actione personali ex illo contractu, quo promissio facta est.

Vt actione ex stipulatu, condictione ex lege, *arg. l. un. ff. de condict. ex leg.* ex canone *c. tuanobis. 26. h. t.* Canis. *c. 18* Meichsner. *Decis. Cameral. 22. in voto Dn. Referentis. §. de Actione.*

L.

Ex constitutis, per abusivam investituram, citra possessionis traditionem, est actio feudalis nominata, competens contra promissorem ad decimarum traditionem.

arg. 2. Feud. 26. §. si facta 2. Feud. 7. in fin. Quamvis enim actus traditionis & investituræ quandoque concurrant, ratione tamen sunt diversi. Similis ferè effectus est condictio ex canone, qua de Canis. *c. 4. n. 3.* Vtile quoque & hoc loco erit remedium adipiscendæ possessionis, juxta Monet. *c. 8. q. 3. n. 27.* Canis. *c. 18. n. 5.*

LI.

Quoad acquisitas decimas distinguendum

dum est, inter remedia possessoria & petitoria. Primi generis sunt retinendæ possessionis, Interdictum uti possidetis, recuperandæ, remedium can. redintegranda 3. q. 1.

Vid Rebuff. *q. 9. n. 2.* Vasqu. *d. c. 39. n. 4. & 5.* Covart. *d. c. 17. n. 6.*

LII.

Petitorium judicium est utilis Confessoria & negatoria.

arg. §. æquè Inst. de act. ubi Dd. comm. Rebuff. *d. q. 9. n. 11. 12.* quomodo Ecclesia altera contra alteram agere potest, quatenus se fundat in jure incorporali, Moneta. *d. c. 8. q. 3. n. 38.*

LIII.

Quæritur hic anne & pro decimis residuis comparata sit actio realis contra novum prædij possessorem?

Affirmant Panorm. & Ioann. Andr. quod præstatio decimarum sit onus reale, & jure tacitæ hypothecæ fundo inhæreat, volentes ideoque & possessorem inde conveniendum, qui solutas recuperet à suo auctore, *arg. l. in venditione 41. ff. de act. empt.* Verùm jus decimandi jus incorporale est, hactenus non afficiens substantiam fundi, sed in ejus accidentibus, h. e. fructibus comparatum, instar servitutis *l. uti frui 5. §. 1. si usufr. pet.* Ideoque pro separatis

 & præ-

& præteritis decimis quidem datur rei vendicatio, non autem contra emptorem fundi & novum possessorem. Vid. Canis. *d. c. 4. n. 3.* ubi ad contraria respondet.

LIV.

Actiones de fructibus tantùm ferè sunt, quæ inter decimarium & alterum solventem oriuntur, puta locati, ubi decimæ ipsi locatæ, empti venditi &c.

Da der Zehendt verdinget / verkaufft / etc. Vid. Canis. *c. 18. n. 16. & 17.* Quæ vero actiones, cum sint bonæ fidei, rectè & ad alia, ad quæ sua natura porrigi possunt, extenduntur.

LV.

Ordo procedendi hîc singularis est quo ad judicem, quem plerique faciunt Secularem, si de decimis agatur laicis jure feudi concessis, vel si de solutione denegata, aut aliàs de facto sit quæstio, puta de judicio possessorio contra laicum, ubi autem de jure v. c. an quis solvere decimas teneatur &c. volunt esse Ecclesiasticum.

Canis. *d. cap. 18. num. 12. & seqq.* Andr. Gail. *1. observ. 38. num. 4.* Vnde & primo casu, à sententia de decimis lata, maximè si inter merè laicos agatur, licita est appellatio ad Cameram Imperialem, Mynsing. *5. observ. 10.* Gail.

d. num

d. num. 4. Add. Hartm. Hartm. *miscell. 2. observ. 9.* Dn. Carpzov. *Jurispr. Consistor. lib. 1. tit. 8. def. 138.* inquiens super temporalibus decimis (quæ ad usum profanum habitæ) seculari judicio cognosci vix dubium cuiquam esse posse. Altero verò casu, si de jure decimarum in petitorio controversia sit, cognitio ejus ad forum & Iudicem Ecclesiasticum spectat, ex hac falsa hypothesi, quod ipsum jus decimarum res spiritualis, possessio vero temporalis censeatur juxta Gl. *in c. literas 2. X. de juram. calumn.* Quamvis hoc ipsum apud Meichsner. *Decis. Cam. Imper. 22.* à Referente & duobus Adsessoribus in votis haut obscurè in dubium vocetur. Referentis vel Meichsneri verba n. 5. hæc sunt: *Ex quibus inferri posset, cum actores in nostro casu jus decimandi vendicare velint, Cameram quoad Jurisdictionem non esse fundatam, cum de petitorio agatur. E contra puto considerandum, plurimum interesse, ne decimarum causæ Statibus secularibus auferantur, & Romam trahantur, contra transactionem Passaviensem. Neque vero differentiam inter possessorium & petitorium esse quoad Camerā, ut scilicet in uno judex esse posit, in altero non, cum in decisionibus etiam jus Canonicum observetur, modo non sit contra Constitutiones Imperiales, & causa possessorij & petitorij coram eodem judice ventilanda sit, per text. in l. nulli. Cod. de judic.* Et num. 7. *Utut sit, nisi in prioribus instantiis omnino nulliter processum fuisset, hanc causam ad Cameram devolutam esse concluderem.* Alter ex Assessoribus num. 25. concludit his verbis: *Causam non remitterem ad judices competentes, ne videamur indifferenter velle præjudicare Cameræ in iisdem causis.* De altero verò ita refert Meichsnerus. *Tertius putat Cameram fundatam in jurisdictione in omnibus, nisi exceptis casibus expressis. Itaque putat, pro conservatione jurisdictionis Cameræ*

nos esse judices. Putat etiam decimas nihil habere spiritualitatis vultq; causam hic retinendam. Vid. Dn. Casp. Klock. *tom. 3. Cons. 41. in fin. ibi:* Weil aber vermöge des anno 1555. auffgerichteten *Religion* friedens verordnet / daß die Geistliche *jurisdiction* wieder die Stände Augßburg *Confession* ruhen / eingestellet / *suspendi*ret sein vnd bleiben soll / als wird N. dem weltlichen Gerichtszwange sich nicht entbrechen / ubi etiam allegat Henr. à Rosenthal. *de feud. cap. 12. concl. 3. num. 33. & seq.* eumque observasse dicit, quod præjudicia Mynsing. ante annum 1555. in facto contigerint. Quicquid sit, hodie certè isthæc differentia in his provinciis vix observatur, cum passim causæ decimarum tam in petitorio quàm possessorio per judicem secularem agitentur & decidantur.

LVI.

Deniq; amittuntur decimæ potissimùm per præscriptionem, tàm quo ad partem, quàm quo ad totum.

Illud quidem disertè & de laicis affirmat Moneta *c. 5. q. 5. n. 105.* quod nullibi dicatur illos hujus exemptionis esse incapaces, & per *c. 1. de præscript. in 6.* præscriptio in decimis absolutè admittatur. De altera idem juris est, juxta sententiam communiorem, ita ut & laici & Clerici libertatem & immunitatem à decimarum solutione acquirere possint per cursum 40. annorum cum tituli probatione, vel temporis immemorialis. Vid. VVehner. *observ. pract. verb.* Novalzehend. *vers. An autem libertas.* Paul. Christinæ. *decis. Belg. vol. 1. dec. 223. n. 17.* Vinc. Filliuc. *qu. moral. de Christ. offic.* Paul. Leyman. *Theol. moral. l. 4. tr. 7. c. 6. n. 10.* post Molinam, Suarez. Valentiam, Guttierez. & plurimos alios ibid. citatos.

FINIS.